

INTRODUCTIO.

De argumento et nexu Choephororum ita tantum recte disputari posse appareat, ut de universa trilogia exponatur. Quam ob caussam nunc quidem e magna rerum cōpia ea tantum selegimus, quae aut ad intelligendam hanc fabulam necessaria aut ab aliis minus recte constituta viderentur.

Aeschylum ob majorem quam melicis carminibus impenderit operam morum describendorum negligentem fuisse, vetus est illa opinio, quam hodie non inveniri confidimus qui defendere audeant. Quam qui olim amplexi sunt, habent aliquam excusationem, quod legibus artis Aeschyleae nondum cognitis fieri non potuit, quin fabulis quarum nexus non perspicerent dijudicandis a vero aberrarent. Accedit altera caussa gravior, quod altitudo ingenii Aeschylei atque orationis sublimitas tanta est, ut vel nunc in cunctis ejus fabulis insint multa ad rerum ordinem quo alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque sint spectantia, de quibus virorum doctorum judicia mirum quantum differant. Cujus generis plura etiam in Choephoris. Orestem plerique describi putant¹⁾ ferocem et audacem, fortem, qui inauditum facinus aggressurus nunquam haesitet. Qui si magnum commun, qui a v. 307 incipit,

1) Westrik de Aesch. Choeph. deque El. Soph. et Eur. p. 152.